

*Ad Diuas itur, qua non de dote rogantur
Aut forma, verum moribus, arte, fide.
Consulitur, variant sortes, theca aurea danda est
Quae tibi sit, radians digna smaragde domus.
Scinditur in diuersa chorus quasi sensa, sed una
(Cui pia canities, ingenuusq; pudor.)
STEINBACHO dicit sit DIFFENBACHIA coniunx,
Nomine conueniens quid magis esse potest?
Assurgunt omnes, tacite, bona verba precantur,
Ac, esto, dicunt, quod pia mater ais.
Digna Viro est, per se digna est, per utrumq; parentem,
Quorum qui potior sydera celsa tenet.
Felix, qui placide hinc migrat, ceu constat ad astra
Astra tulisse, inquam, te GVILIELME pedem.
Exitus è vita cui felix euenit, ille
Affectus summo se sciat esse bono.
Testis Lignicium est, quali sis stemmate cretus,
Quanta in te fuerit cum probitate fides.
Mortuus es, viuens tamen ipsa in morte superstes,
Morte perire queunt corpora, fama nequit.
Quid de matre feram Sponse? gaudetq;, doletq;
Filia quod nubat, quodq; maritus obijt.
Vna illi ad planctum causa est, noctesq;, diesq;
Gaudendi contra mille aliaq; vices.
Ut: quod Strigoniam quondam pater ipse tricollem
Rexit inaudita cum pietate, fide.
Addo, quod heredem, quando hinc migrare necesse est,
Virtutis linquat te pia gnata, sua.
Optarim centum linguas, centum ora diserta,
Seu mihi sit Tullij, siue Periclis opus.
Forma non noui meliorem, gente priorem,
Ad Sponse nihil es, casta Susanna, decus.*

B

Hanc